



29


NI 1<sub>(2)</sub> 8°

Komara prov. 63

2018✓








E XIII 450

ORATIONES  
TRES  
ILLUSTRISSIMI ac REVERENDISSIMI  
DOMINI  
D. NUNCII APOSTOLICI.  
REVERENDISSIMI  
LEGATI GALLICI.  
&  
EXCELLENTISSIMI  
LEGATI LOTHARINGICI.

Habitæ  
In Consessu Serenissimæ Reipubl. Polonæ  
Pro Electione Regis  
Congregatæ.



Anno Dni. M. DC. LXXIV.

# ORATIO HABITA IN REGIÆ ELECTIONIS COMITIIS.

*Ab*

Illustrissimo ac Reverendissimo Archiepiscopo  
Thessalonicensi, NUNTIO APOSTOLICO,  
Varsaviæ, die 5. May. 1674.

**M**inuit aliquando præsentia famam. At ego dum circumspicio Sacros Antistites, inclytos Proceres, fortissimos Equites, in tām præclarām Coronam coadunatos, agnosco Reipubl. Vestræ Majestatem, longè fama esse majorem, coram quā cum explicare deberem Paternas solicitudines, & incessantes Sanctitatis Suæ curas excubantes pro custodia Catholici gregis sibi à Deo commissi per unanimum Venerabilium Fratrum suorum consensum, dies me deficeret, antequam possem singula charitatis Pontificiæ documenta oratione complecti, sufficiet mihi duntaxat peculiarem amorem Sanctitatis Suæ erga Serenissimam Rempublicam Vestrām testatum facere.

Nec mirum, Apostolicam ipsius mentem, adeò anxiam esse rerum Vestrarum, spectator enim fuit in prima sua juventute eximiæ Vestræ Pietatis: & dum fundamenta legum Sarmaticarum diligenter inquireret, occurrebat semper præcipua illa Majorum Vestrorum solertia, tuendæ ampliandæque Religionis Orthodoxæ, sine quā feliciter Regna stare non possunt.

Inde imbuit juvenilem animum tenerrimo amore, quem semper servavit ac fovit, ita ut videatur præservatus ab Altissimo

fimo ad tam prosperam senectutem, ut rebus Vestris, ab intestina discordia, & ab immanissimo hoste periclitantibus, præsidio foret, mittens me Nuntium Extraordinarium quamvis tantæ molis non capacem. Coaluit Deo volente interna tranquillitas; cum tamen remaneret sævissimum bellum externum, non cessavit Amantisimus Pater solicitare frequentissimis orationibus divinam bonitatem pro incolumitate tam præclaræ Gentis. Nec irritæ fuerunt Sanctitatis Suæ process, dum **DEXTERA DOMINI FECIT VIRTUTEM**, & Vos decoravit tam insigni Victoria, quæ sicut in præsenti gignit admirationem, ita in futuro vix credibilis forte videbitur.

Sed Fosteri considerando strenuitatem vestram, & ea quæ à tot sæculis fecistis, possibilia credent quæcunq; vultis; non enim deficit nec amplitudo Provinciarum, nec innumerable Generosa nobilitas, nec disciplina Militaris, cui præsunt gemina illa fulmina belli, Supremi scilicet Exercituum Vestrorum Duces, cæteriq; magni Heroes, qui suo sudore & sanguine triumphales palmas irrigarunt, & Vos hostibus metuendos, Amicis diligendos reddiderunt.

Remanet nunc Respublica orbata suo Principe, sed post Lunam Visnoviecianam Othomanicæ formidabilem etiam seqvuto suo occasu, sperandum est oriturum fulgentissimum Solem, qui lugubres tempestates dissipet & perennem huic Cælo restituat serenitatem.

Jam vero quia Dextra Domini facit virtutem præcipue cogitandum de Rege vere Catholico, ne Deus Exercituum subtrahendo auxiliâ, prædam vos faciat inimicorum vestrorum **Quid enim ad tantas calamitates redaxit Saul, nisi obedi-**

dientia negata Factori suo, & Sacerdotale munus indebitē  
sibi assumptum: è contrà David custodiendo mandata ipsi-  
us, Israeliticas afflictas res erexit, & felicissimum Regnum  
Salomoni reliquit, iterum dilaceratum sub Roboāmo, in  
quo paterna Idololatria sera Numinis vindicta expiavit.

Similia vobis metuere possētis, si sectando privata deside-  
ria solum Deum præ oculis non haberetis, & si Reipublicæ  
amor totum animum vestrum non occuparet. Abundat vere  
unusquisq; in proprio sensu, nec de facili alieno judicio se  
accomodat, verum si firma fide dixeritis: Ostende quem  
elegeris, non dubium est Divinam Majestatem daturam Vo-  
bis Regem publicis privatisq; commodis juxta mentem ve-  
stram prospecturum.

Fateor Vos habuisse Iagellonem Magnorum Regnum  
Progenitorem ex Idolorum cultore Catholicum factum, quod  
quamvis prospere illa ætate successerit nunc æquum non est  
in ambiguum casum certam conjicere Religionem.

Cavendum omnino est à Rege per ambitionem conver-  
so, nam si sub ovina pelle Dominicum gregem lupus inva-  
deret, miserrima strage omnia pollueret; & si villico non  
fidelis Evangelica seges committeretur, statim ipsam zizania  
suffocarent. Cum enim Vestri Reges potiantur authori-  
tate distribuendi officia, si quis daretur in corde malus pra-  
vis Senatoribus impleret Subsellia, & antequam Polonia le-  
thalem morbum cognosceret, sentiret ac ingemisceret se  
jam esse corruptam.

Tutiora itaq; consilia in re tanti momenti sunt ample-  
ctenda, nec connivendum iis qui veram pietatem fovent,

ne postea sera & inutili pœnitentia ducti cogantur dicere:  
væh mihi quia tacui.

Hoc solum ut Catholicum Principem eligatis enixe petit Sanctissimus & Amantissimus Pater, ne tam calamitosa memoria ad posteros transeat ipso regente Ecclesiam, Saromaticam fuisse depravatam, sed quia aurea illa lex, Rex Catholicus esto, certam reddit Sanctitatem Suam Vestræ Pietatis, hac de pluribus supercedeo

Restat ut concordem & citam Electionem Sanctitatis Suæ nomine Vobis obsequentissimis Filiis suis humillimis meis precibüs suadeam, neq; in hoc multum adlaborabo, scitis enim Regna in se divisa desolari, & ambutato capite langvescere membra,

Nec unquam major necessitas Thronum vacuum implendi, cum adhuc habeatis intra fines Regni immanissimum hostem irritatum magis quam victum, scitis ipsum frementem, pro inusitata clade accepta spirare minas meditari vindictam Tartaros stimulare ad prædam Amicos vestros ad invidiam concitare, ne altius gloria vestræ tollatur, & si diuturnis altercationibus bellicosa Nobilitas distineretur ad Vistulam eo tempore quo victoriosa vexilla ad Istrum Deo favente transferri possent, carperent certe Nationes dicendo; vincere scire Polonos, sed nescire uti Victoria.

Vicit Annibal & multoties vicit, sed intempestivè morando apud Capuam cesit in prædam vieti, de hoc timere non debo, dum video tot Senatorès tot Equites prudentes simul & fortes verum quia magna momenta rerum iactu oculti dilabuntur, iterum rogo vos ut citissime talem Regem eli-

gatis de quo dici possit quod de Alexandro Severo factum ipsum fuisse ad remedium humani generis nec fraudabitur tali encomio vester Princeps, si communes hostes propulsando Christianitatem totam reddiderit securam.

Non opus est Vobis in memoriam redigere, quod neq; quies gentium sine armis, neq; arma sine stipendiis neque stipendia sine tributis haberi queunt. Multum sanè passi fuistis à bello Cosacico, Tartarico, Moscico, Suecico & Transilvanico, nec minora mala intestinæ discordiæ peperere, exhaustam etiam reddidere Rempublicam commercia imminuta, pestilentia, fames, & frequentes Scytarum excursiones, unde desolatio in agris, solitudo in Vrbibus, pauperies in Provinciis, si autem considerabis quanta securitas Uxoribus Vestris, Filiis, Patriæ & Avitæ Religioni futura sit, non parcetis pecunia qui Sangvinem vestrum Reipublicæ tam profuse donastis.

Non deficiet Sanctitas suâ Pastorali suo muneri & cum transmiserit quod angustiæ Ærarii Pontificii permiserunt, decimas Italicas imposuit, subsidia Ecclesiasticorum in hoc Regno concessit, aliquos jam S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales exemplo suo movit ad liberalitatem, & denique Catholicos Principes incessanter ad pacem urget, ut conjunctis viribus communi hosti occurratur & sperandum pari benedictione Omnipotentem Deum piissima Sanctitatis Suæ vota prosperaturum, prout haec tenus illa non est frustratus.

Agitur Vigilantissimi Antistites, Præstantissimi Proceres, Generosi Equites, de bello necessario, non pendente à vestra voluntate, nec unquam constanti tranquillitate potiemini, nisi fracto hoste novis cladibus; offeret forsan pacem barbaro

baro more factam ut vires à fortitudine vestra debilitas,  
tractu temporis colligat, renovaturus bellum magis sævum  
Magis periculosem.

Instandum igitur trepidantibus, & tunc inconcussa pax  
erit, quando experientia magistra discent, ta'lem esse Nobis-  
simam Sarmatiæ Gentem quæ toto Orbe labante, sola com-  
pescere potest rapidissimum Torrentem Christianas Provin-  
cias undequaque deuastantem.

Exaltabunt Vos cæteræ Nationes immensis laudibus tan-  
quam suos liberatores; benedicent vos miserrimi Populi, ad  
inevitabilem servitutem semper expositi, & sub Vestra tutela,  
Apostolica Fides requiesceret.

Eligite interim concordibus suffragiis Orthodoxum Prin-  
cipem, & rependite hoc beneficium Sanctissimo Patri CLE-  
MENTI X. qui pro Vesta incolumitate tot lachrymas fudit  
nec unquam fatigare cessabit Divinam Clementiam quo usq;  
Vobis dilectissimis Filiis suis omnia fausta & felicia eveniant.

---

## ORATIO

REVERENDISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI,  
DNI EPISCOPI MASILIENSIS  
SERENISSIMI, POTENTISSIMI & CHRISTIANISSIMI  
REGIS GALLIARUM  
LEGATI EXTRAORDINARIE.

Pro Comitiis Electionis Varsaviam missi, die 11. Maii  
1674, in Cambio Electionis habita.

Udita Reipubl. Vestræ Serenissimæ orbitate, pro eo  
sanè ac debuit Christianissimus Rex, optimi Regis  
morte, ut amicissimi fratr̄is, jacturâ vestrâ, ut carissimo-  
rum sociorum gravissimum dolorem sensit: Dominatio-  
nibusq;

nibusque Vestris Illustrissimis hac Comitiorum celebritate, aut officio consolandi, aut lugendi societate, & singulis, & universis duxit palam declarandum. Multos quidem mœror hic vester ad publicam sociati luctus significationem Principum Oratores evocavit (neque; sanè fas gentem ullam inter Christianus reperiri quæ non Reip. Vestrae Serenissimæ secundis rebus lætetur, & ingemiscat adversis) sed ut omnibus Gallia præstat amicitia fide, & foederum vetustate, ita omes vincit & consolandi studio, & bene merendi voluntate.

Sic enim à natura factus est uterque populos, ut iisdem studiis capiatur, easdem excolat artes, rationem vitæ propè eandem sequatur, ut si indumenta, sermonemque; vernaculum commutaris, in Polonia Gallos, in Gallia habitare Polonos dicas. Et profectò, nisi morum similitudo superioribus sæculis majores nostros ad foedera inter se sancienda exitavissent non video his regionum intervallis, quibus disjungimur, in amicitia ultrò citroque; ardentissimè retinenda quid tantoper sequi potuissent.

Debemus ergo moribus nostris quod virtutis mutuæ fama potius quam consuetudinis jucunditate, rerum utrinque; gestarum gloriâ quam usu commerciorum, societatis jura fidelissime servemus, & votis animisque, si minus locis atque corporibus, arctissimè conjungamur. Neque porro necesse est beneficia commemorare ultrò citroque; profecta vivunt apud nos, viventque; semper benvolentiae Vestrae, ut Illustrissima, ita gratissima monumenta; iidemque; speramus, & fidentissime credimus officia conjunctionis vobiscum nostræ apud memores collocata esse.

Quod

Quod si quando ad bene de Republ. vestra Sereniss. merendum propendit Gallia ut profecto propendit semper; eo sub Rege beata vivit, qui cum regias virtutes omnes possideat, ab ipsis regni primordiis nullà magis eminere voluerit quam amicitiæ constantiæ, & fœderum religione Interpositæ ab ipso pro amicis ardentissimæ pacificationes, suscepitæ pro ipsis dimicationes periculosæ, effusæ in eorum angustiis regni facultates toto orbe testantur populos fœderatos Christianissimo Regi non minus caros esse quam suos semper que sociis paratum esse in potentissima auctoritate firmum præsidium, in ærario locuplete promptum subsidium, & in vetricibus armis auxilium opportunum.

Ea verò æquitate & temperantiâ subditos regit, ut ex quo habendas regni ipse suscepit, nullum apud nos extiterit domesticum certamen præterquam gratiarum in Rege, in Civibus obsequiorum. Bellum autem quod invenit totâ penè Europa diffusum, ita gessit, ut semper vinceret, ita composuit, ut in ferendis conditionibus pacis, spes suas publicæ tranquillitati condonando, novo vincendi genere, fortunâ suâ major appareret.

Ad arma verò capienda, quanquam intercessissent causæ gravissimæ, nonnisi naturæ voce impelli potuit jura sua, (exclusa pacis æquitate) ferro repetentis. Quod bellū etiæ captæ urbes quam plurimæ, & debellata intra paucissimos dies tota Sequanorum Provincia nobilitassent, posuit tamen libenter arma, ut vicinos metu, Europam trepidatione liberaret.

Ita, scepitæ erant toto orbe Christiano discordiæ conticescebant veteres contentiones Regis æquitate, debilitate invidorum, cum Batavi tot beneficiis devincti Regi, in libertatis suæ assertorem, superbiâ non ferendâ insurgere cœperunt, pacisq; auctorem & vindicem ad belli necessitatem compulerunt. Et tamen Rheno feliciter trajecto, redactis in potestatem terrestribus provinciis, cœteris naufragio voluntario demersis, inter victoriarum concentus suavissimos pacis voces non repudiavit, pacemq; Christianus Orbis haberet, si qui pugnare non audent, invidere desissem.

Tot curis & administrandi regni & gerendi belli districtus, non intermittit Christianissimus Rex de gloria, & dignitate Reipublicæ

Vestræ Serenissimæ cogitare Credidit Regis esse incumbere, ne Regium nomen invidorum Vestrorum artibus non merenti deferatur, & amici fidelissimi, ut meritissimum Vobisq; maximè utilem eligatis. Non ignorat profecto, Excelentissimi Domini, tantæ Coronæ arbitrium iis permitti qui cum ipsi per se regere possent florentissimam Rempublicam nullius monitis egerint, ut Patriæ votis respondeant, & consulant orbitati.

Novit sapientissimi Senatus, totiusq; celeberrimi coetus Virtutem, prudentiam, sagacitatem, & secundis. & adversis rebus comprobata. Non mentiens dicam, neque animo adulandi singulorum illi nomina, & universorum eximias dotes esse perspectas Novit apud Excellentias Vestrarum residere arcanum illud consilium quo Reipubl. Vestræ Serenissimæ tranquillitas continetur & incolumitas Christianæ, ab hoc profectas conservatrices libertatis Vestræ cogitationes: conversas dubiis temporibus fortunæ vices; atque victoriam nobilissimâ pugnâ adsigna Vesta revocatam. Et sanè maxima cum voluptate audivit postrema hæc fortitudinis Vestræ miracula, quæ nec hostium numerum, nec vallorum monumenta, nec fortunæ iniquitatem reformidant, per exigua manu, difficillimis in locis ita animosè pugnavit, ut superaret fidem tot millia fuisse à tam paucis cæsa, capta vulnerata, fugata, nisi jam pridem Polonica & Lithvanica Nobilitas tantis præsertim Ducibus famam asuefecisset incredibilibus victoriis referendis.

Nunc verò alterius victoriæ nec minoris, licet incurruntæ expectat Europa nuntium, nempe sententias vestrarum ad concordiam & unitatem caritate Patriæ revocatas, ut conspirantibus ad communem utilitatem omnium studiis animisq; efflorescat electio expectatione publica digna quam omnium gratulatio, Vestræq; felicitate consequatur. Non dubitamus Excellentissimi Domini, quin vota publica exitum sint habitura, breviq; prœdeat è sinu Vestro Princeps justus sapiens, moderatus, pius, & bello & paci non impar, qualem deniq; precatur vobis Christianissimus Rex, ut possit cum eo tenaciore & fortiori vinculo amicitiam alligare. Ejus certè vel autoritas nominis, vel amicitiae fides & officiorum magnitudo impetrare debet, ne Princeps Galliæ inimicus ad Regni Vesti fastigium evenhatur,

hatur, sed non timet Christianissimus Rex hisce Comitiis tam insig-  
nem alienatæ à se Poloniæ, & Lithuaniae notam, speratq; potius  
amicitiam suam ut Reipubl. Vestræ cordi est, ita Candidatis, apud  
Serenissimos Ordines commendationi & gloriæ fore. Cum videat  
Reipublicæ Vestræ tot necessitudinum vinculis sibi devinetæ, gra-  
tissimeq; dilectæ vires non ita pridem omnibus formidandas infau-  
sto bello miserè labefactatas, ejusdemque occasione undique cir-  
cumstantes insidiatores Vestræ libertatis, & invasores provincia-  
rum. Tanquam in pestilentia corvos ad dilanianda florentissimi  
Regni membra pulcherrima advolantes; facere sanè non potest  
qui Regem Dominationibus Vestræ Illustrissimis optet, & offerat,  
qui pacem honestam Gallia pacificatrice, faciendo cum Turcis,  
det laxamentum vastationi agrorum, & populorum calamitati.

Christianissimi Regis nomine è familia regnatrice Principem  
Neoburgensem Vobis proponimus ad fasces natum, fascibus assue-  
tum, in quo nihil ad regiam dignitatem præter regium nomen re-  
quiratur, (non quo inter vos desint Illustrissimi Cives & bello &  
pace clari, summo fastigio pares) Princeps Neoburgensis originis  
regiæ gloriam habet, amplissima fortunæ pignora, & omnia regi-  
rum virtutum ornamenta Eo parente natus est, quem cum inter tot  
Principes Resp. Vesta Sereniss., dignissimum judicavit quem secum  
regia affinitate conjungeret; pro sua in regiam stirpem propensi-  
one, familiam Neoburgensem ad spem aliquando suffragiorum Ve-  
strorum excitare videbatur. Illius sapientissima præcepta, & exem-  
pla Illustrissima teneram & magnam filii indolem ad pacis artes &  
tractationem armorum felicissimè instruxerunt ea vero ætate est quæ  
ad mores Vestros fingi nullo labore posit, & ad consuetudinem in-  
stitutaq; Vestræ gentis ita facile flecti, ut non accersitus à Vobis, sed  
inter Vos natus, & in sinu Vestro educatus videatur.

Accedet ad Dominationes Vestræ Illustrissimas integer cupidi-  
tatis, & sui juris, adeoq; Vestræ potestatis nulli Principi sacramento  
addictus est, nulli privata similitate infensus. Non affert secum o-  
dia domestica, & familiæ contentiones, ne in dotem Reipubl. ve-  
stræ Serenissimæ tradere timeatis dissensiones pericolosas cum ve-  
teribus sociis, & cum potentioribus vicinis conjunctiones Vobis

infidiosas, suspectas Europæ, omnibus formidandas. Ergo non imminebit libertati Vestræ, sed præsidebit. sacrumq; illud patriarchum legum palladium quo tamdiu iucolumis & florens stetit Polonia, reverebitur semper, ab ambitione externâ liber. Soli gloriæ Vestræ deditus, soli utilitati mancipatus.

Nullioneri erit Vobis familia, cñjus amplissimæ & fundatissimæ opes ad tuendam generis claritatem sufficient nulli timori ita Principum vicinorum amica est, ut sic libera; ita Christianissimo Regi Dómino meo foederata, ut inde nullum libertati Vestræ periculum, multa atq; certissima subsidia possint proficisci.

Principem autem eum proponimus qui non sit futurus avidus gloriæ supra vires, neq; cupidus otii infra dignitatem sed sapienti temperamento ita bellum geret, ut non repudiet pacem: ita pacem colet, ut arma cum Respublica postulabit, non recuset. Nulla erit causa cur Princeps Neoburgensis immortali bello Reip. Vestræ Serenissimæ vires exauriri, & potentiam atteri velit, cum honestæ conditiones paces ferentur: quippe qui arma Vestræ Religionis defensioni consecrata haud quaquam necesse habeat interponere partibus & offenditionibus alienis, aut ad suarum dimicationem & ultionem transferre. Illam perennem, & divinam Polonicæ & Lithuaniae Nobilitatis bene de Repub. Christiana merendi gloriam ad posteros illibatam perducet exemplis domesticis, ad pietatis cultum & veræ fidei propugnationem institutus. Itaq; soli Reip. Serenissimæ & militabit, & vincet.

Corona Vesta Sanctior est & præstantior quam ut sit aut miseri præda, aut exulis solarium, aut telum irati, aut ambitionis merces, aut arbitrium vicinorum. Illam ad se pertrahere multi conantur blanda potestissimorum foederum ostentatione & illecebris amicissimæ vicinitatis,

*Timeo Danaos & dona ferentes vel potius offerentes*

Et duntaxat debetur Principi quem Vestrum, & in Vestrum, & in Vesta legumq; potestate videat Serenissima R. esp. semper futurum, neque aliunde petiturum regni consilia & artes quam à quorum suffragiis regnum acceperit Vesta est, & vestræ debet esse munus beneficentiaz pignusq; publicæ libertatis.

Habent Serenissimi Ordines Principem summæ spei, virtutis cognitæ, familie regnaticis, Reique publicæ Vestrae regia affinitate conjunctæ suffragia pro illo Vesta sola Reipub. Vestrae caritate solo Vestrae gloriæ studio Christianissimus Rex ambit, datq; regiam fidem Principem Neoburgensem repræsentaturum semper Serenissimis Ordinibus memorem animum & liberalem & observantem, libertati jura, populis æquitatem, Religioni cultum, patriæ curam & defensionem, amicitiam foederatis.

Quod si ad veteres arctissimarum necessitudinum conjunctio-nes accedet veluti cumulus Principis Galliarum cari electio, Christianissimi Regis Domini mei nomine offerrimus Ordinibus Serenissimis quidquid à tanto Rege sperari potest & studiorum, & Officiorum. Quid possit & velit Vesta causa potentissimus & amicissimus Rex, non ignoratis. Si opus est pacificatore, officio Constantinopoli, nec inania, nec fucata; si fautore, sincera studia, si adjutore, certissima subsidia pollicetur.

Cæterum Christianissimus Rex Dominus meus sapientiæ Vestrae perpendendum relinquit quibus in rebus ejus gratia auctoritas, studia consilia, & auxilia Serenissimæ Reipublicæ Vestrae necessaria sunt, Regia enim fide promittimusque cunq; à Christianissima Majestate pendebunt, ea semper in promptu fore, quotiescunq; Illustris- simis Excellentiis Vestris id nobis significare placuerit.

Hæc sunt Excellentissimi Domini, quæ Reipublicæ Vestrae Serenissimæ exponenda à Christianissimo Rege in mandatis accepimus. Veteras amicitiæ fidelissimæ fecit, ut tantus Princeps quem Illustrissima Corona Vesta dignum putaret, Vobis proponeret; ne gloriam & utilitatem Reip. Serenissimæ, cum posset indicando promovere, tacendo negligere videretur. Sperat Illustrissimas Dominati-ones Vestras æqui bonique consulturas tam prolixam & honorificam de singulis & universis bene merendi voluntatem, & consilium ab optimo animo & sincera amicitia profectum pari mente, studioq; accepturas dicendi finem faciemus Deum Optimum prius precati Regem ut eum Serenissimi Ordines eligant, qui sit Reipub. Vestrae honori, Christianæ præsidio, & sociis Vestris jucunditatibus.

Illustrissimis autem Excellentiis & Dominationibus Vestris gra-

tias ago, si minus quantas debeo tot honoribus quibus me ab omnibus Ordinibus incredibili humanitate, & urbanitate singulari & sentio, & profiteor cumulatum; certè quantas possum, habiturus in pectore immortales cum ardentissima utilitatibus Vestris inserviendo voluntate.

---

Reverendissimi, Excellentissimi, Illustrissimi, Perillustres  
Magnifici, & Generosi Domini Principes, Senatores, cæteriq; Sere-  
nissimæ Reipublicæ Regni Poloniæ, Magniç; Ducatus  
Lithuanie congregati Ordines.

Vinquennium est ex quo in hoc amplissimo confessu compa-  
ruit Orator Lotharingicus, et si successu irrito; nunquam tamen  
poenitendo, innotuit Serenissimæ Reipublicæ, tam laudabili ambitione  
Princeps CAROLUS, quæ quamvis scopum suum non sortitæ non potest  
tamen apud tam generosas mentes gratam sui memoriam non reli-  
quisse, & fas sit dicere, nescioquod jus in amicitiam Vestram sibi ac-  
quisivisse videtur. Juvat adhuc recordari magni illius diei, quo non  
aversis Polonorum animis, sed fatis alio trahentibus Serenissimus  
Princeps Lotharingus spe conceptâ non intotum excidit dum pro-  
ximè ad coronam esset, non nisi Polono cesisse, cuius præmaturum  
obitum, & Serenissimæ Reipublicæ lugendum, eo quo par erat a-  
nimi sensu percepit, condoletq;. Quæreritis quo animo tam hone-  
stam repulsam tulerit, eo ipso, quo Coronam accepisset, animo Re-  
gio, & tam in adversa, quām in prospera firmo, neq; unquam re-  
gnare dignior visus est: quām ubi regnandi spem amiserat. Testor  
ex hoc Augusto Senatu quām plurimos, quos discedens literis grati-  
animi testibus humanissimè compellavit; & tanquam redditurus. Vi-  
dere mihi videor omnium ora oculosque in me conversos tanquam  
sciscitantium, quibus Studiis, quibus in tantam spem rudimentis Prin-  
ceps Lotharingus intervallum hoc transegerit, quod fata ipsa ad  
maturitatem, si quæ adhuc deerat acquirendam concessisse videntur.  
Dicam testis oculatus, & si placet juratus, & ed liberius dicam quod  
quæ in oculis totius Europæ gesta sunt, neque ab inimicis occulta-  
ri possunt, neq; ab amicis supra meritum exaggerari. Transtulit  
ad exercitum Cæsareum eam ipsam gloriæ aviditatem quam in Po-  
lonia

Ionia testatus fuerat, adjecto ad priorem animi magnitudinem hoc novo stimulo, ne quid ageret, quod tanti Regni Candidatum deceret. Hungariam quam jam antea famâ suâ illustraverat, dum Turcarum impetum ad Sanctum Gothardum primus cum legione sua stitit. Supremus Equitatus Cæsarei Dux pacavit; Binis in Imperium Germanicum expeditionibus adsuit, eâ Vigilantia & fortitudinis laude, ut cum Comes Montecuculi, si vita suppeteret, primis in Europa Ducibus annutare non dubitaverit. In laboribus indefessus omnia magni Dux & fortissimi militis munia obire visus est; diem ducendo agmini, disponendisq; quæ in rem necessaria erant, noctem quam semper in castris, & inter milites transigebat magnam plerumq; partem lustrandis vigiliis, præsidüsq; impendebat, & apud gregarium, militem instar prodigiæ erat int̄ diei spatiū Principem Lotharingum non nisi semel vidisse. Ipse tentoria militum circumire, querelis omnium aures præbere, aditu tam facili, ut ne insimus quidem ab ejus accessu arceretur. Si qvid vel in subministranda annona negligentia, vel in stipendiis militi persolvendis difficultatis occurrebat, id ipse summā curā, & solicitudine removebat; & seu agmen ducendum erat, seu munimentum hostile oppugnandum, seu locus castris eligendus nemo id exequebatur solertiū, nemo intrepidiū. Quà opportuna aquatio, quâ pabuli lignorumq; copia, quâ castra moventi tutum maximè iter, quæ forma agminis, quibus potissimum armis hostis impetendas, quò impedimenta, quò sarcinæ, quò turba inermis rejicenda quanto ea aut quali præsidio custodienda, his curis cogitationibusq;, ita animum agitavit, ut nulla ei in talis re difficultas nova oriri possit. Dignum sane Martiā Polonorum Coronā tyrocinium. Commilitonem vobis offerimus, Viri fortissimi, non deliciis aulæ innutritum, sed cœli, soliq; injuriis affuetum, & ut in partem gloriæ Vestræ, ita & in partem laborum accessurum. Non ex gyneca Achillem cuius nondum probata virtus Poloniā periculo experimento exponat, sed duodecim jam annorum continua tæ militiæ instructum, & in eo apud exercitum Cæsareum gradu, ex quo Rudolfum Habsburgicum Imperatorem sibi assumere non dubitavit olim Germania. Virum damus eā ætate, quæ cupiditates adolescentiæ effugit, eā vitâ, quæ nihil præteritum excusandum habet. Eā domo, quæ mille & amplius annis toto orbe celeberrima, multis gentibus Reges dedit, omnibus fæculis herœs, eā Regum stirpe qui coronas non tantum aureas, sed & spineas jam à Godefredo portare didicerunt moribus, qui illum omnium in quibus vixit aularum, omnium exercituum delicias reddiderunt. Eā in Deum pietate, in Religionem Catholicam constantiâ, ut non tantum non in Serenissimam domum suam, sed neq; in ullam ditionum suarum partem, ullam unquam novitatis labem admiserit. Talis ad hoc magnum tribunal redit Lotharingus vester coronam Polonicam ambiturus vel in præmium præteritarum virtutum, vel in incitamentum futurarum, & quæ fiduciâ tantum honoris fastigium à generositate Vestrâ expectat, eā ipsâ sē suaq; omnia tutelæ Serenissimæ Reipublicæ committit. Ipsam suam Lotharingiam, regnum æmulam, & quæ Principibus suis redditus non multum infra regios pendet, ill-

lam inquam, utilitatib[us] vestra totam devovet. Nec est quod quispiam objiciat aureum discordia[rum] pomum h[ic] afferi. Notum est orbi universo de restituenda Lotharingia nulli unquam dubium incidisse, de modo restitutionis quæstio fuit, de quo Vos In- clyti Proceres ubi Principem Carolum Coronâ Vestra dignati fueritis, ut d[omi]n[u]s Vestra, ut de Regis Poloniae patrimonio judicabitis. Post Christianum nomen contrâ Turcas fortissimè vindicatum post tam itamanem hostem à cervicibus Europæ depulsum, quid deest ad cumulum gloriæ, quam ut Christianus orbis prudentiæ Vestra pacem domesticam debeat, pro debita postmodum gratitudine in communem hostem arma sociaturus. Ea in manibus vestris posita est. Et ne quid interea detrimen- ti patiatur Respublica. 1. Offert Serenissimus Princeps ea Subsidia, quibus urgentiori- bus necessitatibus subveniri, & militia de toto orbe Christiano tam bene merita si- pendia in nonum ab hoc præsenti Mensem, vel tria ut vulgo vocant quartalja ex- solvi possint, quibus & Nobilitas sublevabitur, & militum ardor ad nova faci- nora excitabitur. 2. Offert quinque peditum millia servitio Serenissimæ Reipubli- cae, pro hac imminentि Turcica expeditione ære proprio susteneanda. 3. Cedit Lotha- ringia Dux in commodum Serenissimæ Reipublicæ, durante vitâ sua medietatem amplissimorum reddituum Lotharingæ, & Barri Ducatum, qui ubi h[ic] ereditario jure ad Principem Carolum devoluti fuerint, accedet & altera medietas rebus Polonicis in pristinum splendorem restituendis liberaliter applicanda. 4. Assumet Serenissimus Princeps quingentos Polonos Nobiles in corporis sui Custodiam in qua tanquam in Seminario ad alteriora in militia officia formabuntur. 5. Bina in confiaiis Forta- litia, unum in Turcicis, alterum in Moscovicis, sumptibus propriis exstrui cura- bit, nisi Serenissima Respublica maluerit, eos Caminiaco, ubi recuperatum fuerit, muniendo impendi. 6. Gymnasium pro Centum Polonis Nobilebus exercitiis eque- stribus imbuendis, vel Musiponti in Lotharingia, vel in ipsa, si magis libuerit, Po- lonia, fundabit. Quæ omnia accuratius exponentur iis Deputatis quos Serenissi- ma Respublica assignare voluerit.

Agiti Viti fortissimi, & Poloniæ Vestram Principi Carolo eadem generositate committite, quâ ille Vobis Lotharingiam suam confidit. Veniet è Castris ad Castra, à galeâ ad Coronam, eadem alacritate à Coronâ ad galeam redditurus. Ve- niet nulli mortalium obnoxius, nulli exterritorum Princeps ullo dependentiæ vinculo obstrictus. Totus Vester, & in Polonorū mores, habitus, foedera, ami- citias, inimicitiasque transiturus. Et quem potius, per Deum immortalem, aut quem meliori omne, quam Rēgem Hierosolymitanum in Turcas ducatis? Videl olim in Cœlo Crucem Constantinus, & in hoc signo vicit; Videt & hodie Polo- nia non minori præsiglio fulgentem in celo suo Crucem Lotharingicam, &, si Su- peris placet, tam notum Victoriae signum amplectetur. Nihil arduum erit, nihil impervium, aut Polonis Lotharingo, Duce aut Lotharingo Polonis militibus: Finiam cum Guicciardino rerum Italicarum Scriptore celeberrimo, afferente Remp. Vene- tam, nisi virginitatemjurâisset. non ex aliâ quam ex Domo Lotharingicâ